

† R. P. Iacobus Gasparini (1847-1925).

(Prov. Roman.)



Quae de vita et moribus desideratissimi P. Iacobi Gasparini, d. 6 Iun. iubilaris anni 1925 emortui enarranda essent, in hoc tantillo Analectorum spatio aegre perstringi possunt. Vir enim multarum magnarumque virtutum et meritorum fuit, qui in vinea Domini sui plurimos labores exantlavit.

Schodelii (*Schio*), quod Vicentinae provinciae oppidum est, P. Iacobus noster d. 10 Apr. 1847 primas auras hausit. Puerulus patrum Seminarium ingressus est, in quo post adolescentiam innocentissime peractam, uni Deo et studiis intentus, ad sacerdotium una cum Eñō viro Caietano De Lai ascendit.

In vicum *Poiana de Granfion* capellanus missus, moxque Polaei (*Poleo*) rector renuntiatus, iam tunc quo animi robore, quo sacerdotali zelo ageatur, luculenter ostendit. Rectoris munus, omnibus omnia factus, nec laboribus parcens, nec contrarietatibus victus, ad decem annos obivit, insigne sui pastoralis officii monumentum relinquens novam ecclesiam, cui a fundamentis erigendae suis impensis et curis, immo et manuum opere incredibili industria studuerat.

Cum vero de animarum sibi concreditarum ratione reddenda in dies vehementius formidaret et ad perfectiora se vocatum cognovisset, Congregationem nostram, quam ex nostrorum per Venetam regionem habitis missionibus optime norat, Buxilongi d. 16 Febr. 1882 ingressus est, et ad dimidium, iuxta Regulam tunc vigentem, redacto tirocinio, ibimet d. 24 Oct. eiusdem anni votorum professionem emisit. Ex quo tempore P. Gasparini mundo valedixit, nihil antiquius habuit, quam spiritum S. Alphonsi plenissime ediscere et in mores traducere; quo in studio brevi adeo profecit, ut tanti Patris genuinus filius appareret et omnibus, vel ipsis aetate et professione proiectioribus, admirationi esset. Has praeclaras dotes cum Superiores maiores cognovissent, eas in bonum Romanae Province statim adhibendas esse censuere. Hinc factum est, ut P. Gasparini, quamvis a professione recens, longam illam continentemque gravium officiorum seriem inciperet, quae emortuali demum morbo finienda erat, quaeque illius vitam religiosam in duas fere aequas partes distinxit, alteram potius iuventuti nostrae formandae, alteram aliis Congregatis regendis consecratam.

Pesinae initium fecit, quando iuvenatus Director itemque clericorum ibi commorantium Praefectus renuntiatus est (1884–87). Dein Magister novitiorum Buxilongi (1887–89), postea Seifellensis iuvenatus Director (1889–92) una cum Rectoris officio (1892–94), postremo clericorum studentium Praefectus Cortonae (1894–98) constitutus est. Quotquot tunc festivi adolescentes fuimus, modo vero iam annorum pondere premi incipimus, antiqui Directoris Praefectique spirantem adhuc imaginem altis mentibus repositam habemus, quippe qui boni erga nos parentis partes egerit omnes. Quem enim erga Congregationem fovebat amorem, eum maxime in iuvenes aspirantes, laetam futurorum temporum spem, refundebat, omnes paterno affectu amplexus. Tenellos animos ad virtutes, quae Instituti nostri sunt propriae: pietatem, humilitatem, sui abnegationem, obedientiam, simplicitatem gradatim efformare diligent studio satagebat. Corporales item indigentias, meliore quo poterat modo, et prout facultates suppeditabant, impiger curabat, ita ut facile omnium animos ad se alliceret. Benignitatem cum iusta severitate temperabat, adeo ut, si quando nonnullos in disciplinam defectus per diem contraxeramus, tremebundi ad serotinam collationem accederemus, fortes eius reprehensiones audituri et punitiones eius subituri.

At p[re] omnibus ei solleme fuit illud unum, gratiam vocationis ad coelum efferre et dignitatem veri Redemptoristae, velut Iesu Christi in magno Redemptionis opere coadiutoris, profusis ignitisque verbis celebrare. Cum vero aliquem aspirantem in sua vocatione vel anticipitem vel tentatum cognoverat, nullum non movebat lapidem, anxioque animo plurimam navabat operam, ut haesitantem aut tentatum in sancto proposito solidaret. Oh, quoties illum sodales caelesti vocationi infideles amarissimis deplorentem vocibus, quoties cum lacrimis de misera illorum sorte loquentem audivimus! Quinimmo nec a minis illorum iuvenum aetati aptis abhorrebat, ut vocationem servaret. In Congregatione adhuc vivit sua vocatione, Deo favente, contentissimus, qui tredecim annorum puerulus Patris Directoris cubiculum quondam intravit, dimissionem e iuvenatu postulans; atvero sonoris alapis electus est hac voce: «Ap[er]te te! Potius Matri de Perpetuo Succursu te commenda, neve eadem denuo dixeris, nisi velis peiora experiri!». Nec minor eius erga clericos studentes vel zelus de spirituali profectu, vel vigilantia in mores, vel cura in variis necessitatibus fuit; neque minor severitas. Etenim vix Cortonam attigerat, cum omnibus innotuit Patre Gasparini Praefecto omnem animi dissolutionem, omnem regularis observantiae relaxationem, omnem in studiis segnitiem proscriptam esse; alias nec veniae locum, nec quietis modum ullum futurum. *Ignis ardens*, en, quo emblemate communiter donabatur; nec deerant, qui, cum de Leonis XIII tum admodum senis successore iuxta istam Sancto Malachiae adscriptam prophetiam vel pseudoprophetiam fabularentur, iocose Patrem

Gasparini, utpote « ignem ardente », innuentes quaererent: « Quis putas P. Praefectus erit » ?

His adolescentium curis distentus P. Gasparini quattuordecim annos transegerat, cum ad alios Congregatos regendos vocatus est, quo in munere dein per septemdecim annos permansit. De illius gubernandi ratione haec in universum delibasse sufficiat: vir ut erat S. Patris Alphonsi spiritu solide imbutus, Congregationis amantissimus, Regulæ et Constitutionum ad apicem exsecutor, Superiorum mandatis obsequens, apostolico zelo inflammatus, haec eadem pro virili parte ab aliis exposcebat, resistentibus non parcens, pigrantes stimulans, infirmis indulgens, omnes vero Iesu Christi amore amplexans. Quandoque forsitan durior in exigendo atque vehementior in reprehendendo, quam religiosa lenitas postulabat, videri potuerit; at vix ignitae indolis aestus efferbuerat, cum dulcissima benevolentia, immo et alta humilitate ductus, quod vulnus intulerat, sanare non erubesceret.

Buxilongensis domus Rector creatus est a. 1898. Hoc nactus officium, totum se (quod semper in votis habuerat) sanctarum missionum similiumque laborum ministerio mancipavit, unde mortifero tantum morbo praeoccupatus recessit. Trium igitur annorum spatio, quo Buxilongi permansit, plus quam viginti missiones perfecit aliasque labores apostolicos permulitos; cumque socii defatigati tantillam requiem deprecarentur: « Eia, Fratres (immutabiliter respondebat), dum vires prostant, vires pro Dei gloria et animarum salute insumamus ! » Et ipse omnium primus per castella et civitates docens et praedicans perpetuo circuibat. Hac aetate etiam per pulchrum satisque grande sacellum in coemeterio aedificavit, ut et Missae Sacrificium ibimet celebrari posset et nostris locus esset sepulturae. Quod cum absolutum vidit: « Et ego (inquit) hic tandem requiescam ! » Neque eum praesensio fefellit.

Triennio transacto in domum S. Ioachim de Urbe Minister missus est, at iam a. insequenti, scl. 1902, Siculam Provinciam qua Visitator Perpetuus regendam accepit. Duabus tantum domibus, Mazariensi et Panormitana, constabat tunc illa Provincia et Patres numerabat non amplius septem aut octo, e Romana Provincia fere omnes. Tantum vero abfuit, ut haec parum laeta rerum condicio Patris Visitatoris animum deiiceret, ut potius restituendae Provinciae S. Alphonso carissimae totis viribus allaboraret. Regiminis sui Siculi initium a B. M. V. de Paradiso, cuius speciosa imago Mazarae in nostra ecclesia summa veneratione colitur, sumere voluit; sanctuarium enim et sacellum mirifice exornandum curavit, et ad cultum erga eandem Matrem dulcissimam promovendum totis viribus incubuit.

Ad aliud deinde manus admovit, cum opus missionum ea ratione et methodo, quibus a S. P. Alphonso primisque eius sociis, praesertim Patre Blasucci, pro Sicilia institutum erat, ex integrō instaurare decrevit. Multae

quidem gravesque obstabant difficultates: operariorum penuria, oppida ampla, quae, ruralibus pagis paene ignotis, passim incolarum viginti, trigesinta millia et ultra numerant, nativa Siculorum indoles ignea, quae missionis exercitiis excitata in effrenam affectuum commotionem erumpere solet, ita ut missionarii per integros menses diu noctuque quasi obsidione premantur, religiosa denique populi institutio parumper neglecta, quae missionarium ad duplicatum laborem cogit. At omnibus difficultatibus posthabitatis, novus P. Visitator moras omnes rupit et Partanna, hieme a. 1903 exeunte, primam missionem perfecit. Illico Saccae toto Quadragesimae tempore alia missio subsecuta est, quae omnium praeclarissima evasit. Tanta enim fuit incolarum in Patres nostros benevolentia et desiderium, ut et ecclesiasticae et civilis auctoritatis proceres, populo universo maxime plaudente, de vetere nostra domo, cui S. P. Alphonsus iamiam moriturus supremam benedictionem impertiverat, partim saltem restituenda deliberare coeperint, idque paulo post facto compleverint. Sic porro tertia domus, cum incredibili Patris Visitatoris gaudio, Provinciae accessit. Praeter duas memoratas missiones P. Gasparini alias viginti, evangelizans animarum circiter tercentis millibus, perfecit illo septem annorum spatio quo, sive Visitator, sive domus Uditoriensis seu Panormitanae Superior, in Sicilia moratus est.

Missionum opere tam feliciter inchoato, ad aliud non minoris ponderis animum convertit, exercitia inquam spiritualia in domo Uditoriensi tradenda: quod opus coeptum quidem erat; sed tamen incremento egebat. Primitus P. Gasparini locum parare sategit: nam domus ista per plures annos a publicae securitatis ministris inhabitata, a pristino decore misere deciderat, et quamvis postea ex parte redintegrata fuisset, tamen non satis decora sacerdotibus cuiusque dignitatis recipiendis videbatur. Pecunia quidem deerat, at P. Visitator, quo erat sagaci animo, plurimos adivit, quos inter ipsum Summum Pontificem Pium X, cui iam cognitus erat, et ab omnibus plus minusve accepit. Atrium, circuitiones, cubicula, solaria, reectorium, sacellum brevi refecta et Ligorianam simplicitatem exornata; lucis electricae et aquae apparatus per domum, cubiculis exceptis, deducti. Sedes sic instructa presbyteros excipere non iam erubescerat, qui mox accedere gestierunt. Quandoque exercitiorum cursus decem in anno, plerumque ab ipso P. Gasparini habitu, numerati sunt. Silentio praetereundos duco alios labores apostolicos minores, quos praesertim plurimos perfecit, cum e Visitatore a. 1905 Superior factus est domus Panormitanae, cui cappellania suburbani pagi iungitur, adeo ut in proverbium apud confratres Siculos veniret: « Patri Gasparini est os semper reseratum ».

Audax interea mente volvebat consilium exiguitati Provinciae succurrendi novo iuvenatu in ipsa insula constituendo. Ad postquam semel et

iterum rei periculum fecit, ab incoepio desistere, quamvis invitus, subiectorum, loci, pecuniae, omnimodae commoditatis defectu coactus est.

Ad annum 1909 sensim pervenimus, quo anno Romae celebratum est Capitulum generale, cui P. Gasparini qua unicus Siculae Provinciae Vocalis interfuit. Novis Superiorum electionibus peractis a Sicilia revocatus et Rector domus S. Ioachim de Urbe itemque parochus illius paroeciae renuntiatur. Quo animi moerore hunc nuntium acceperit, vix dici potest; nam paroeciales curas ut fugeret, Congregationem olim intraverat, et easdem denuo, et in immensum quidem auctas, iam senex assumere adstringebatur! At in Superioris iussu Dei voluntatem adorans demisse humeros oneroso ponderi supposuit. Quaenam hodie sint parochi, in urbana praesertim magnaqua paroecia, partes neminem latet; harum nulli Patrem Gasparini defuisse omnium testimonio comprobatur. Puerorum populi religiosa institutio, infirmorum cura, s. Tribunalis Mensaeque eucharisticae frequentia, piarum societatum pro diversorum sexuum, statuum, aetatum conditionibus vita et incrementum, actionis catholicae, quam vocant, explicatio, bellum acre in quaecunque fidei morumque pericula et scandala gerendum (velut in ephemeredes irreligiosas, spectacula lubrica, cultum muliebrem indecorum), matrimoniorum christianorum celebratio aliaque ignitum novi parochi zelum experti sunt. Atque solis luce clarius in paroeciali officio Patris Gasparini firmitas et inexhausta caritas enituere: *firmitas* animi, qua ad verbera usque luctabatur, sive ut miseros pueros omni religiosa institutione privatos e manibus scelestorum patrum eriperet, sive ut puellas misere delapsas ad bonam frugem reduceret, sive ut scandala publica impediret, privata auferret, sive ut moribundis, invitatis forte propinquis, Ecclesiae Sacraenta ministraret. Neque vel ipsam igneam ballistam (*rivotella*) quandoque admotam pertimuit. Enituit etiam eius inexhausta *caritas*, qua in adiuvandis pauperculis non eleemosynas tantum distribuit, quas a ditioribus enixe postulaverat et copiose accipere solebat, sed quidquid prae manibus occurrebat, vel ipsa sui lectuli linteamina, quinimmo et suum peculiare patrimonium insumpsit.

Sexennio (1909–1915) his sanctis operibus expleto, strenui operarii fractae sunt vires, morbusque tetterimus *diabetes mellitus*, qui vocatur, cum sensuum subinde defectione coniunctus apparere coepit. Tunc Rectoris et parochi muneribus liberatus Venetias primum, deinde Buxilongum missus est, ubi per decem annos vitam in incredibili istius morbi in dies ingrauescentis tolerantia exegit. Verum non patientiae tantum, sed et omnium aliarum virtutum hoc extremo vitae tempore nova et nitidiora exempla dedit. Spiritus orationis ei fuit singularis, cum per horas et horas coram SS. Sacramento preces fervidissimas cum suspiriis lacrimisque effunderet et ubique, sive in cubiculo manens, sive per circuitiones transiens, sive per hortum commeans rosarium Mariale aliasque preces perpetuo murmu-

raret. Regularis observantiae studiosissimum se praebuit; nam etsi ab actibus communibus ob infirmitatem solutus erat, omnes tamen peragere satagebat, aegre ferens, immo se incusans, si forte campanulae signum ob aurium gravitatem non audierat. Praedicationis et s. Tribunalis ministerium, pro viris praesertim, indefessus obivit; in quo tamen plus affectabat, quam reapse poterat. Sensum mortificationem, quod sane mirandum, ne tum quidem deseruit, et licet morbis acerbissimis vexatus, crucem inhiabat graviorem, eoque mortuo nos eius disciplinam ferreis acuminibus intextam et capsulam ciliciis, catenulis aliisque poenitentiae instrumentis, recenti sanguine conspersis refertam non sine profunda animi commotione conspeximus. Plura, ne iusto longius istud necrologium evadat, dolentes missa facimus.

Die 24 Mart. 1925, cum sacrum litasset, Fratri laico adstanti: « Missam (inquit) non amplius celebrare potero ». A medico visitatus, plures in cruribus plagas sanie scatentes gestare visus est, quas alto semper silentio condiderat. Duobus mensibus lectulo affixus hanc unam edidit vocem: « Fiat voluntas Dei! » de una sacrae communionis cotidiana receptione sollicitus, immo anxius. Iunio ineunte iam omnibus morti proximus apparuit, et revera d. 6 huius mensis, omnibus morientium subsidiis reflectus, pientissime animam efflavit. Annos compleverat aetatis 78, professionis 42. R. i. p.